

EXPOSITIO TEXTUS.

Istas pœnas pauci vident. Rationem huius reddit Philosophus in IX. Ethic. cap. XIX. quia natura intellectualis, quæ suis bonis per huiusmodi destituitur, occulta est; sed natura exterior magis apparet: unde magis (4) est creditum à sensibilibus hominibus se esse hoc quod sunt propter naturam sensibilem, quam per naturam intellectualem: & hoc ideo quia quod nocet eis secundum intellectualem naturam, non reputant pœnam, sed solum quæ nocent secundum naturam exteriorem eis notam; quamvis è contrario sit secundum rei veritatem.

(5) *Enumerat multa quæ peccata sunt, & pœna peccati.* Intelligentum est de his quæ sunt in genere

DISTINCTIO XXXVII.

Aliorum ponit sententiam, qui dicunt, malos actus nullo modo esse à Deo; nec esse bonos, sive in eo quod sunt, sive alio modo.

Sunt autem & alii plurimi longe aliter de peccato, & de actu sentientes. Asserunt enim voluntatem malam, & actum malum peccata esse, & nulla ratione (7) bona; nec secundum aliquam rationem ex Deo auctore esse, quia sine Deo fiunt: sine eo namque, ut ait Evangelistâ, factum est nihil, idest peccatum: quod dicitur esse nihil: non quia non sit actio prava, vel mala voluntas, quæ aliquid est; sed quia à vero esse separat homines, & ad malum trahit; & sic ad non esse deducit. Qui enim à summi boni participatione recedunt, quod solum vere, ac proprie est, merito non esse dicuntur. Ideoque Augustinus dicit super Joannem (tract. 1.) peccatum nihil esse, nihilque fieri homines cum peccant. Hæc igitur ratione adstruunt nihil esse, quia à vero esse hominem elongat: voluntatemque malam, atque actionem, sive locutionem malam peccatum esse dicunt: quia prævaritio, & inobedientia hæc sunt, & contra legem Dei fiunt; quæ tamen sunt, sed ab homine, vel à diabolo, non à Deo. Nullatenus enim à Deo hæc esse dicunt, sive in quantum sunt, sive alio modo.

Qualiter determinent verba Augustini præmissa, quibus ait, omne quod est, in quantum est, bonum esse.

Illa quoque Augustini verba quibus dicit, omne quod est, in quantum est, bonum esse, & Deum habere auctorem, de naturis, sive de substantiis tantum accipienda fore tradunt. Substantiæ vero nomine, atque naturæ dicunt significari substantias ipsas, & ea quæ naturaliter habent, scilicet quæ concreata sunt eis; sicut anima naturaliter habet intellectum, & ingenium, & voluntatem, & huiusmodi. Quod ex verbis Augustini præmissis colligitur, ubi bonum hominem appellat bonam naturam, & malum hominem malam naturam. Secundum hanc igitur assertionem, vel acceptionem, mali actus non sunt naturæ, vel substantiæ, nec etiam boni actus. Quod utique Augustinus videtur innuere in Libro I. Retract. (cap. XLII.) distinguens inter substantias, sive naturas, & bonas actiones, sive malas. Aperiens enim quomodo intelligendum sit quiddam in Libro de vera Religione cap. xxx. ab eo traditum, ait: „Hoc de substantiis, atque naturis dictum est: inde enim disputabatur, non de bonis actionibus, atque peccatis.“ Aperte hic videtur dividere inter naturas, sive substantias, & actiones, sive peccata; ideoque asserunt præfati doctores, actiones interiores, vel exteriores non esse naturas, vel substantias: quæ si malæ sunt, peccata sunt, neque à Deo sunt. Quod vero mali actus non sint naturæ, Augustinus (a) Lib. I. cap. xxx. videtur notare in prima responsione contra Pelagianos, ita dicens: „Opera diaboli, quæ vitia dicuntur, actus sunt, non res:“ Idem in quarta: „Omne malum natura non est; sed actus accedens alicui ex defectu boni. Quamobrem quod natura non est, Deus non fecit: quia natura est omne quod fecit.“ Item cap. XLII. ejus Lib. „Omne quod natura bonum est, Deus ex nihilo fecit, non diabolus.“

Secundum hos res aliquæ sunt quæ à Deo non sunt, quibus homines mali sunt.

EX quo colligitur, res aliquas esse quæ à Deo non sunt; eisque homines mali sunt: quod nihilominus & ipsi concedunt, innitentes verbis Augustini superioris positâ, qui in Enchir. cap. XIX. determinans illa verba Prophetæ „Væ his qui dicunt malum bonum,“ dicit, de ipsis rebus quibus homines mali sunt, non (4) Al. est credendum sensibilibus. (5) In editis: *Media quæ sunt, & peccata sunt &c.* (6) Al. additur illud. (7) Al. bonam.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Seu Lib. I. Hypognost. contra primum Pelagianum articulum, ut prope finem videre est: ut & sequens appendix ex eisdem Hypognostici Lib. IV. contra quartum Pelagianum articulum sumitur, ubi statim ab initio, sed alia serie habetur quam hic posteriora prioribus præmittendo. Sed Augustini opus non est.

culpæ; alias falsum esset: quia quædam sunt tantummodo pœnæ, & nullo modo culpæ.

Ponit Deus offendiculum, dum scilicet impedimenta peccati non subtrahit.

Non tamen potest dici pœna peccati, scilicet alterius: quia illa pœna quæ sequitur, ejusdem peccati pœna est quod eam effecit.

Nec tamen in quantum peccata sunt, à Deo sunt. Quia peccata sunt aliquid, in quantum à voluntate procedunt; sed pœna peccata fiunt, secundum (6) quod invenitur in eis aliquid voluntati repugnans, ut dictum est.

Vel de homine secundum statum liberi arbitrii. Ista solutio non videtur conveniens: quia præcepta legis homini post peccatum data sunt, de quibus Hieronymus Pelagius loquutus est.

non de hominibus hoc esse intelligendum. Sunt ergo aliquæ res quibus homines mali sunt. Id autem quo homo fit deterior, à Deo non est: quia, ut ait Augustinus in Lib. LXXXIII. Quæstionum quæst. III. Deo auctore non fit homo deterior. Non est igitur auctor Deus rerum quibus homo fit deterior. At sunt aliqua res, ut dictum est, quibus homines mali fiunt. Sunt etiam ergo aliqua res quæ à Deo non sunt, quia peccata ipsæ sunt. Ideoque Scriptura in pluribus contestatur locis, Deum non esse auctorem malorum, idest eorum quæ peccata sunt.

Ex parte eorum præmissa opponitur sententia in illo verbo, Deus auctor malorum non est.

In hoc autem verbo superiorum sententiæ recte opponitur, qui dicunt Deum non esse auctorem eorum quæ mala sunt, in quantum mala sunt; sed in quantum sunt, & in quantum mala sunt, dicunt ea nihil esse. Quid igitur mirum, si Deus dicitur non esse auctor eorum, in quantum nihil sunt, (1) cum nihili nullus actor existere queat? Ideoque cum dicitur Deus auctor esse omnium quæ sunt; bonorum, isti subintelligi volunt. Bona autem illa dicunt esse quæ naturaliter sunt; ea vero naturaliter dicunt esse, non solum quæ substantiæ sunt, vel concreta substantiis, qualiter supra acceperunt, sed & omnia quæ naturam non privant bono: & ita secundum eosdem multiplex in Scripturis fit intelligentia, ubi de natura, sive de substantiis, vel de his quæ naturaliter sunt, sermo occurrit. Sed super illum locum Psal. LXXVIII. „Non est substantia,“ ita Augustinus de substantia disseruit, ut præmissæ sententiæ videatur consentire, dicens: Substantia intelligitur illud quod sumus, quidquid sumus: homo, pecus, terra, sol, omnia ista substantiæ sunt, & eo ipso quo sunt, nature ipsæ substantiæ dicuntur. Nam quod nulla est substantia, nihil omnino est. Substantia ergo est aliquid esse. Deus fecit hominem substantiam; sed per iniquitatem lapsus est homo à substantia in qua factus est. Iniquitas quippe ipsa substantia non est. Non enim iniquitas est natura quam formavit Deus; sed iniquitas est perversio quam fecit homo. Naturæ omnes per ipsum factæ sunt. Iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas non est substantia. In illo autem hymno trium puerorum universa creatura laudans Deum commemoratur. Laudant enim omnia Deum, sed quæ fecit Deus. Laudat ibi serpens Deum, sed non avaritia: omnia reptilia ibi nominata sunt; sed non aliqua vitia. Vitia enim ex nobis, & ex nostra voluntate habemus, & vitia non sunt substantiæ. „Intendant ex his verbis diligenter præmissarum assertores sententiarum, & percipere poterunt rationem, & causam dictorum, ubi Scriptura de natura, vel substantia mentionem facit. Illarum vero sententiarum iudicium prudentis lectoris, cui utriusque sententiæ notitiam plenarie dedimus, arbitrio relinquimus, ad ea quæ adhuc nobis supersunt, tractanda festinantes.“

Quod de peccato, non de pœna intelligitur, cum dicitur Deus non esse auctor mali.

CUM igitur in hoc omnes consentiant catholici tractatores, scilicet quod Deus non est auctor malorum; cavendum est tamen ne malorum nomine pœnas, sicut peccata, generaliter includas. Pœnarum enim Deus auctor est, sicut ipse per Prophetam ait Amos III. 6. „Non (2) est malum in civitate quod Dominus non fecerit.“ Idem alibi ex persona sua ait Isai. XLV. 7. „Ego sum Deus (3) creans malum, & faciens bonum.“ Ecce hic dicitur creasse, & fecisse malum. Sed mali nomine pœna intelligitur, non peccatum; sicut è converso cum dicitur, Deus non est auctor malorum, nomine mali peccata intelliguntur. Ideoque Augustinus, qui dixerat in Lib. LXXXIII. Quæst. quæst. XXI. quod Deus auctor mali non sit, in I. Libro Retractat. cap. XXVII. quomodo id intelligendum sit, aperit, dicens: „Videndum est ne male intelligatur, quod dixi: Deus auctor mali non est: qui & omnium quæ sunt, auctor est, quia in quantum sunt, in quantum bona sunt: & ne hinc putetur, non ab illo esse pœnam malorum, quæ utique malum est his qui puniuntur. Sed hoc ita dixi, sicut dictum est Sap. I. 13. Deus mortem non fecit: cum alibi Eccli. XI. scriptum sit: Mors, & vita à Domino est. Malorum igitur pœna, quæ à Deo est, malum est quidem malis; sed in bonis Dei operibus est: quoniam justum est ut mali puniantur; & utique bonum est omne quod justum est. Sic ergo dicitur Deus non fecisse mortem: quia non fecit illud pro quo mors infligitur, idest peccatum.“ Audisti, lector, causam dictorum: ex qua intelligentia sana firmatur, cum dicitur: Deus non est auctor mali, & Deus mortem non fecit.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam tractavit illam opinionem quæ ponebat, actus peccatorum, in quantum sunt, bonos esse, & à Deo; in hac distinctione prosequitur aliam opinionem oppositam, quæ ponit eos nullo modo à Deo esse: & dividitur in partes duas. In prima prosequitur istam opinionem quantum ad hoc in quo à præcedenti differt. In secunda determinat quoddam in quo ambæ opiniones conveniunt, quod scilicet Deus, quamvis non sit auctor malorum quæ sunt culpæ, est tamen auctor pœnarum, ibi: *Cum igitur omnes in hoc consentiant catholici tractatores, scilicet quod Deus non est auctor malorum; cavendum est tamen ne malorum nomine pœnas, sicut peccata, generaliter includas.*

Circa primum tria facit. Primo narrat eorum opinionem. Secundo ponit responsiones eorum ad rationes, quibus alia opinio innitebatur, ibi: *Ille quoque Augustini verba... de naturis, sive de substantiis tantum accipienda fore tradunt.* Tertio ponit rationes ad impugnandum prædictam opinionem, ibi: *Ex quo colligitur res aliquas esse quæ à Deo non sunt.* Et circa hoc tria facit. Primo ponit rationes contra primam opinionem. Secundo ex dictis concludit quoddam, quo ista opinio innititur contra objectiones quæ possent fieri, ibi: *Ideoque cum dicitur Deus esse auctor omnium quæ sunt; bonorum, isti subintelligi volunt.* Tertio utriusque opinionis iudicium lectori relinquit, ibi: *Intendant diligenter his verbis præmissarum assertores sententiarum.* Prima dividitur in duas, secundum duas

[(1) Al. cum vel nullius. (2) Vulgata: „Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?“ (3) Vulgata: „Faciens pacem, & creans malum.“

duas rationes. Secunda incipit ibi: *In hoc autem verba superiorum sententia recte opponitur.*

QUÆSTIO I.

HIC est triplex quæstio. Prima de existentia peccati. Secunda de causa ejus. Tertia de causa pœnæ.

Circa primum duo quærentur.

Primo. Utrum peccatum sit substantia, vel natura, aut res quædam.

Secundo. Utrum omne quod est, quocumque modo sit, à Deo sit.

ARTICULUS I.

Utrum peccatum sit substantia, vel natura quædam.

1. 2. quæst. XVIII. art. 3.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod peccatum non sit substantia, vel natura. Nihil enim existens in altero sicut in subiecto, substantia est, ut per definitionem substantiæ patet. Sed peccatum, quocumque modo sumatur, in peccante est sicut in subiecto. Ergo non est substantia, vel natura.

2. Præterea. Peccatum malum quoddam est. Sed Dionysius IV. cap. de div. Nom. probat, quod malum non est neque in univèrsali natura, neque in particulari. Ergo peccatum non est natura quædam.

3. Præterea. Quod corrumpit naturam, non videtur esse natura. Sed peccatum naturam corrumpit, ut supra habitum est. Ergo peccatum non est natura.

4. Præterea. A formali principio res in speciem trahitur. Cum igitur ens dicatur esse res, vel natura, secundum quod ad aliquam speciem determinatum est, ut Avicenna dicit in principio suæ Metaphysicæ, videtur quod id quod caret principio formali, res, vel natura dici non possit. Sed dicitur peccatum per privationem formæ: est enim privatio modi, speciei, & ordinis, ut Augustinus dicit, de natura boni cap. IV. Ergo peccatum res, vel natura dici non potest.

5. Præterea. Omnis res, vel natura ordinem aliquem habet in universo. Sed ex hoc aliquid dicitur peccatum, quia inordinatum est. Ergo peccatum non est res, vel natura.

Sed contra. Quidquid est in aliquo decem prædicamentorum, est res, vel natura. Sed peccata in aliquo genere collocantur: quia habitus peccatorum in genere qualitatis sunt, & actus peccatorum in genere actionis. Ergo peccata res, vel naturæ quædam sunt.

Præterea. Contraria in idem genus reducuntur. Sed peccatum virtuti contrariatur. Cum igitur virtus sit in genere rei, & naturæ, videtur quod peccatum res quædam, vel natura sit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod substantia dupliciter dicitur, ut ex V. Metaph. text. xv. patet. Uno enim modo dicitur substantia, secundum quod significat rationem primi prædicamenti; & hoc est vel forma, vel materia, vel compositum, quod per se in genere est. Alio modo dicitur substantia illud quod significat quid in omnibus rebus; sicut dicimus, quod

diffinitio significat rei substantiam; & hoc modo quidquid positive dicitur, in quocumque genere sit, substantia est, vel substantiam habet: sic enim substantia pro essentia sumitur. Primo ergo modo accipiendū substantiam, nullo modo dubium est peccata substantias non esse: quia nec etiam virtutes substantiæ hoc modo sunt, cum in genere substantiæ non sint neque sicut principia, neque sicut principia. Sed secundo modo accipiendū substantiam, potest esse dubium, utrum peccatum substantia sit: eo quod in actu peccati duo est considerare; scilicet ipsum actum, qui essentia quædam est in eo quod actus est, & sic proculdubio substantia est; vel etiam ipsam privationem ordinis, per quam malus est: & quia privationes essentiam non habent, ideo ex parte ista peccatum substantia non est: & quia peccatum dicitur peccatum, secundum quod privatum est debito ordine, ideo peccatum, absolute loquendo, dicitur substantia non esse; sed tamen in quantum actus est, substantia est. Similiter etiam nomen naturæ multipliciter dicitur, ut Boetius in Lib. de duabus naturis, & una persona Christi dicit. Primo enim modo dicitur natura, secundum quod communiter ad omnia entia se habet, prout natura diffinitur omne id quod intellectu quoquo modo capi potest. Secundo modo prout tantum substantiis convenit; & sic natura dicitur esse quod agere, vel pati potest. Tertio modo dicitur natura quod est principium motus, vel quietis in eis in quibus per se est, & non secundum accedens. Quarto modo unum quodque informans specifica differentia dicitur natura. Secundo igitur, & tertio modo peccata natura dici non possunt: quia in genere substantiæ non sunt, ut dictum est; neque iterum principium motus sunt, sed potius motus, vel actiones quædam: & quod plus est, etiam tertio modo accipiendū naturam, nec secundum naturam dici possunt, quia peccatum in nulla re accidit, nisi secundum recessum ab eo quod naturaliter sibi inest: unde & peccatum hominis est per recessum à rectitudine rationis, quæ naturaliter homini convenit. Sed primo modo, & quarto quodammodo potest dici natura peccatum, & quodammodo non: quia secundum quod est actus quidam, est ens quoddam, quod intellectu capi potest, & aliqua differentia ad speciem determinatur; sed in quantum rationem peccati habet ex privatione rectitudinis, neque est ens, neque differentiam habet, sed per privationem debite formæ dicitur. Similiter autem & nomen rei dupliciter sumitur. Simpliciter enim dicitur res quod habet esse ratum & firmum in natura; & dicitur res hoc modo, accepto nomine rei secundum quod habet quidditatem, vel essentiam quamdam; ens vero, secundum quod habet esse, ut dicit Avicenna, Metaph. tract. I. cap. VI. distinguens entis, & rei significationem. Sed quia res per essentiam suam cognoscibilis est, transumptum est nomen rei ad omne id quod in cognitione, vel intellectu cadere potest, secundum quod res à reor reoris dicitur: & per hunc modum dicuntur res rationis, quæ in natura ratum esse non habent, secundum quem modum etiam negationes, & privationes res dici possunt, sicut & entia rationis dicuntur, ut Commentator in IV. Metaph. com. 11. dicit. Primo ergo modo sumendo nomen rei, peccatum, in quantum est actus, est res quædam; sed in quantum peccatum est ex privatione ordinis debiti, non est res quædam, sed privatio; privatio autem res naturæ non est, sed rationis tantum. Unde secundo modo accipiendū rem, quantum ad utrumque, peccatum

res est, scilicet & in quantum est actus, & in quantum privationi subicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod illa obiectio procedit de substantia, secundum quod significat rem primi prædicamenti; & hoc modo sumendo substantiam, peccatum nullo modo substantia est.

Ad secundum dicendum, quod esse in natura aliquid dicitur dupliciter: vel sicut pars naturæ, sive aliquid aliud ad perfectionem naturæ pertinens; & hoc modo malum non est in natura neque univèrsali, neque particulari. Vel potest intelligi aliquid esse in natura sicut in subiecto; & hoc modo oportet quod subiectum hujusmodi privationis, quæ malum est, natura quædam sit, ut hoc modo malum in natura esse dicatur: & ideo oportet actum illum in quo deformitas fundatur sicut in subiecto, naturam quamdam esse.

Ad tertium dicendum, quod illud quod naturam unam corrumpit, potest esse natura alterius, sicut natura ignis corrumpit naturam aquæ: unde non est inconueniens ut actu quo natura hominis corrumpitur, natura alterius animalis perficiatur: aliquid enim est vituperabile in homine quod est laudabile in leone, vel cane: & ideo non est inconueniens ut actus ille natura aliqua ponatur, vel etiam secundum naturam, non quidem hominis, sed alterius.

Ad quartum ergo dicendum, quod quamvis privatione qua peccatum malum dicitur, privetur forma per quam actus in genere moris bonitatem habet; non tamen privatur forma illa per quam in genere actus remanet: & ideo secundum illam formam res dici potest, in quantum actus est res quædam. Iterum etiam illa privatio accipitur ut forma ejus, secundum quod in consideratione rationis venit; & ideo ex parte privationis potest dici res, secundum quod res à reor reoris dicitur.

Ad quintum dicendum, quod impossibile est aliquam rem esse quæ omni ordine destituatur: unde & in ipso actu peccati, ut res quædam est, remanet ordo aliquis & ad agentem, & ad finem aliquem intentum ab agente, quod est æstimatum bonum; quamvis privetur ordo: (1) & ad finem debitum: quam etiam inordinationem Deus inordinatam non relinquit, sed per pœnam ordinat.

ARTICULUS II.

Utrum omne ens sit à Deo.

Contr. Gent. Lib. II. cap. xv. et quodl. 11. art. 3.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod non omne ens à Deo sit. Verum enim, & ens convertuntur. Sed aliquem peccare est verum, quod non est à Deo. Ergo non omne quod est, à Deo est.

2. Præterea. Quidquid est à Deo, per Verbum factum est. Sed forma hominis in idolo non est facta per Verbum, ut Augustinus dicit (2), contra Pelag. Lib. III. ad 3. & tamen forma hominis in idolo ens quoddam est. Ergo non omne ens à Deo est.

3. Præterea. (2) De quocumque vere potest dici quod est, ipsum est ens. Sed verum est dicere deformitatem peccati esse. Ergo deformitas peccati est ens.

(1) Al. à fine debito. (2) Forte construendum sic. De quocumque quod est, vere potest dici, Ipsum &c.

(3) Al. deest duo. Ex EDIT. P. NICOL. (2) Tract. I. in Joan. nempe ad illa verba, *Sine ipso factum est nihil*; pro quo prius notabatur ad marginem Lib. III. contra Pelag. ad 3. Quid est hoc?

Sed deformitas peccati non est à Deo. Ergo non omne ens est à Deo.

4. Præterea. Omne quod est à Deo, in aliquo similitudinem ejus retinet: quia, ut Dionysius dicit 11. cap. de div. Nom. causata habent causarum suarum contingentes imagines. Sed quædam sunt quæ hominem dissimilem Deo reddunt. Ergo non omne quod est, à Deo est.

5. Præterea. Cujuscumque agentis operatio reducitur in aliquod aliud agens sicut in causam, illud non est agens per seipsum. Sed quædam sunt quæ per seipsa agunt, quæ scilicet dominium, suorum actuum habent, ut agentia à proposito. Ergo operationes eorum non reducuntur in agens aliud prius eis sicut in causam. Sed operationes illæ entia quædam sunt. Ergo non omnia entia sunt à Deo causata.

Sed contra. Boetius dicit in Libro de Hebdom. quod res aliæ dicuntur bonæ, in quantum à primo, & summo bono sunt, quod Deus est. Quod ergo à Deo non est, bonum non est. Si ergo aliquid ens sit quod à Deo non est, illud omnino bonum non erit. Sed quod est omnino carens bonitate, est summum malum. Ergo erit ponere summum malum; & ita erunt (3) duo principia prima.

Præterea. Omne ens quod non habet causam, ipsum est primum simpliciter, & est causa tantum. Sed hoc est impossibile esse, nisi unum. Ergo omne aliud ens causam habet. Sed quidquid est causatum, per operationem causæ suæ in esse productum est. Aut ergo illa causa est causa prima, aut causa secunda. Si est causa prima, non habens aliam causam, talis causa solus Deus est: ergo hoc ens de quo loquimur, erit à Deo. Si autem est causa secunda, ergo causa prima vehementius agit in causatum ejus quam ipsamet agat in illud. Ergo omne ens à causa prima procedit, quæ Deus est.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ens invenitur in pluribus secundum prius & posterius. Illud tamen verissime, & primo dicitur ens cujus esse est ipsum quod est: quia esse ejus non est receptum, sed per se subsistens. In omnibus autem quæ secundum prius & posterius dicuntur, primum eorum quæ sunt, potest esse causa; & per se dictum, est causa ejus quod per participationem dicitur: & ideo oportet quod illud ens quod non per participationem alicujus esse quod sit aliud quam ipsum, dicitur ens, quod primum inter entia est, sit causa omnium aliorum entium. Alia autem entia dicuntur per posterius, in quantum aliquid esse participant quod non est idem quod ipsa sunt; & hæc procedunt usque ad ultima entium; ita quod quamcumque rationem essendi aliquid habeat, non sit sibi nisi à Deo; sed defectus essendi sit ei à seipso.

Ad primum ergo dicendum, quod verum dupliciter potest considerari. Vel secundum quod fundatur in re; & hoc modo hoc quod dicitur istum peccare, non habet veritatem; immo potius per recessum à veritate peccatum incidit, si sumatur veritas quæ in re est, per quam quis implet id quod à Deo ordinatum est. Vel secundum quod completur operatione.

(1) Al. à fine debito. (2) Forte construendum sic. De quocumque quod est, vere potest dici, Ipsum &c.

(3) Al. deest duo. Ex EDIT. P. NICOL. (2) Tract. I. in Joan. nempe ad illa verba, *Sine ipso factum est nihil*; pro quo prius notabatur ad marginem Lib. III. contra Pelag. ad 3. Quid est hoc?

ratione animæ compositionem formantis, in qua est veritas, prout significat, vel intelligit rem eo modo quo est: & sic hoc quod est istum peccare, est quoddam ens rationis, (4) prout verum dicitur; & sic à Deo est: non enim nisi à Deo esse potest talis rectitudo, ut intellectus rem accipiat eo modo quo est, & eodem modo verbis eam exprimat.

Ad secundum dicendum, quod forma hominis in idolo potest dupliciter considerari: vel secundum quod est figura quædam; & sic proculdubio à Deo est, à quo omnis forma est: vel secundum quod est ordinata ad id quod decens eam (5) non est, vel conveniens sibi, scilicet ad hoc ut adoraretur; & secundum hoc à Deo non est: quia secundum hoc nihil est, cum secundum negationem debiti usus hoc dicatur.

Ad tertium dicendum, quod, ut supra dictum est, ens dicitur dupliciter. Uno modo quod significat essentiam rei extra animam existentis; & hoc modo non potest dici ens deformitas peccati, quæ privatio quædam est: privationes enim essentiam non habent in rerum natura. Alio modo secundum quod significat veritatem propositionis; & sic deformitas dicitur esse, non propter hoc quod in re esse habeat, sed quia intellectus componit privationem cum subiecto, sicut formam quamdam. Unde sicut ex compositione formæ ad subiectum, vel ad materiam, relinquitur quoddam esse substantiale, vel accidentale; ita etiam intellectus compositionem privationis cum subiecto per quoddam esse significat. Sed hoc esse non est nisi esse rationis, cum in re potius sit non esse: & secundum hoc quod in ratione esse habet, constat quod à Deo est.

Ad quartum dicendum, quod in creatis contingit esse similitudinem Dei secundum quamcumque perfectionem participatam; & quanto perfectio est nobilior, tanto secundum eam attenditur similitudo expressior. Contingit autem ut aliquid similitudinem Dei amittat quantum ad ulteriorem perfectionem, quod quantum ad primam perfectionem similitudinem retinet: unde in istis, secundum verba Dionysii, dicitur esse participatio divinæ bonitatis secundum obscuram resonantiam; sicut patet in peccato: quia in actu peccati est aliquid similitudinem divinam retinens, puta corporalis delectatio, vel aliquid huiusmodi à summo bono exemplatum; quamvis non sit ibi similitudo summi boni quæ est per gratiam: & ideo secundum hoc quod similitudinem Dei retinent, talia entia à Deo sunt; secundum vero quod à Dei similitudine recedunt, (6) nec entia sunt, nec à Deo sunt; cum omne ens, in quantum est ens, primo enti similetur.

Ad quintum dicendum, quod operatio illius agentis qui per se agit, oportet ut in primum agens sicut in causam reducatur: quamvis enim huiusmodi entia per se agant, quia per propriam naturam, & proprium iudicium actus suos determinant, non tamen à se habent quod agant, sed à primo agente, quod eis & esse, & posse, & agere confert.

QUÆSTIO II.

Deinde quaeritur de causa peccati: & circa hoc duo quaeruntur.

Primo. Utrum ipsius peccati Deus causa sit, absolute loquendo.

Secundo. Utrum sit causa actionis in qua deformi-

(4) Al. aut. (5) Al. adiuvit ordinari. (6) Al. nec etiam entia sunt, nec etiam à Deo sunt.

tas culpæ consistit, secundum quod actio est.

ARTICULUS I.

Utrum Deus sit simpliciter causa peccati.

1. 2. quæst. lxxix. art. 1. & de malo quæst. 111. art. 1. & III. cont. Gent. cap. clxii.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod simpliciter peccati Deus causa sit. Quia, ut in Glossa ad Rom. ix. dicitur, Deus operatur in cordibus hominum, & inclinat voluntates eorum in quodcumque voluerit, sive in bonum, sive in malum. Sed ex hoc dicitur auctor bonorum operum, quia voluntatem hominis in bonum inclinat. Ergo & eadem ratione potest dici auctor peccatorum, quæ sunt mala opera.

2. Præterea. Quicquid est causa causæ, est causa causati. Sed peccati causa est voluntas peccantis. Cum igitur voluntatis causa sit Deus, videtur quod & peccati.

3. Præterea. In eadem causam reducitur salus, & periculum alicujus: idem enim nauta est causa salutis, & periclitationis navis, ut in II. Physic. text. xxx. dicitur. Sed Deus est causa salutis humanæ, quæ est per bona opera. Ergo cum periclitatio animæ sit per peccatum, videtur quod etiam Deus sit peccati causa.

4. Præterea. Quæcumque operatio convenit rei secundum hoc quod sibi à Deo datum est, à Deo est. Sed operationes quæ sunt peccata; conveniunt homini secundum inclinationem virium sensibilium, quæ homini à Deo sunt datæ. Ergo & peccatum hominis in Deum sicut in causam reducitur.

5. Præterea. Peccatum est tenebra spiritualis. Sed tenebrarum Deus auctor est: Isa. xlv. 7. Formans lucem, & creans tenebras. Ergo peccatorum Deus causa est.

Sed contra. Fulgentius dicit, Lib. I. ad Monim. cap. xix. Illius rei Deus est ultor, cuius non est auctor. Sed peccati est ultor. Ergo ejus non est auctor.

Præterea. Quidquid fit Deo volente, fit Deo auctore, & è converso. Sed mala non fiunt Deo volente, Ergo nec eo auctore.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod peccati auctor Deus nullo modo dicitur esse. Qui enim agit propter finem, non deficit à fine nisi propter defectum alicujus, vel sui ipsius, vel alterius: & ille in quo invenitur defectus, erit causa obliationis à fine, sive sit ipsum principale agens, vel materia, vel instrumentum agentis, vel quicquid aliud: & ideo illud in quo nullo modo defectus cadere potest, non potest esse causa recessus à fine in his quæ ad finem ordinata sunt. Cum igitur peccatum dicatur propter inordinationem à fine ad quem natura rationalis ordinata est, non potest esse causa peccati Deus, in quo nullus defectus cadere potest; sed oportet quod peccatum causeatur defectu illius agentis quod est possibile ad defectum, sicut est voluntas rationalis creaturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus non eodem modo inclinat voluntatem in bonum, & in malum. Inclinat siquidem voluntatem in bonum admi-

QUÆSTIO II.

nistrando virtutem agendi, & directe movendo ad bonum; sed ad malum dicitur inclinare, in quantum gratiam non præbet, per quam quis à malo retraheretur; & non quod directe voluntatem in malum ordinet.

Ad secundum dicendum, quod peccatum refertur in voluntatem sicut in causam: & quamvis voluntas sit creata à Deo, in quantum est quoddam ens, non tamen quantum ad hoc quod defectus ex ipsa incidere potest: est enim possibilis ad defectum ex hoc quod ex nihilo est. Quamvis autem Deus sit causa voluntatis, faciens eam ex nihilo; hoc tamen quod est ex nihilo esse, non habet ab alio, sed à se: unde secundum hoc non habet causam aliam; & ideo defectus qui sequitur ex ea secundum quod ex nihilo est, non oportet quod in ulteriorem causam reducatur.

Ad tertium dicendum, quod nauta est causa periculi navis per suam absentiam; Deus autem quantum in se est, nulli absens est, sed peccator absens se à Deo: & ideo ipse sui peccati causa est, in quo periclitatur, & non Deus.

Ad quartum dicendum, quod concupiscibilis, & irascibilis à Deo homini datæ sunt, ita ut rationi subdantur. Unde si quis eis utatur secundum illum ordinem prout à Deo datæ sunt, talis operationis Deus auctor erit; sed in hoc peccatum esse non poterit. Si quis autem eis utatur præter rationis ordinem, talis abusionis Deus auctor non erit, quia in hac peccatum est.

Ad quintum dicendum, quod peccatum dicitur spiritualis tenebra effective, quia scilicet mentem obtenebrat, eam lumine gratiæ privans. Nomen autem tenebræ poenam potius designat: unde etiam tenebræ Deus auctor est, sicut & aliarum poenarum, ut infra ostendetur.

ARTICULUS II.

Utrum actio peccati, in quantum actio, sit à Deo.

1. P. quæst. xlviii. art. 6. & de malo quæst. 1. a. 5.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod actio peccati, in quantum est actio, à Deo non sit. Omne enim quod est à Deo, bonum est; & omne bonum, alicui bonum est. Quædam autem peccata sunt quorum actus nulli boni sunt: quia & facti nocent, & ei in quem fiunt. Ergo tales actus nullo modo à Deo sunt.

2. Præterea. Quidquid est causa actionis in qua deformitas fundatur, secundum quam actio mala dicitur, est movens, & cooperans ad malum: nihil enim operatur ad malum, nisi secundum quod talem actionem producit. Sed Deus nullo modo ad malum cooperari debet dici. Ergo illius actionis in qua malum consistit inseparabiliter, causa dicitur non est.

3. Præterea. Bonarum actionum Deus non est auctor, nisi secundum quod Deus potentiæ agendi efficaciam confert, quia determinatio operis ex libero arbitrio est, ut supra habitum est. Si igitur Deus ipsarum actionum malarum, in quantum actiones sunt à potentia egredientes, causa esset, eodem modo dicitur esse auctor malarum actionum, sicut est auctor bonarum.

4. Præterea. Quod convenit alicui secundum genus, & differentiam suam constitutivam, convenit sibi per suam essentiam: quia essentia rei his signi-

In II. Sent. Tom. II.

ficatur. Sed quidam actus sunt qui ex genere suo mali sunt, ut supra habitum est; & quidam qui ex differentia, per quam in speciem contrahuntur. Ergo per essentiam suam mali sunt: & ita nec etiam in quantum sunt, à Deo sunt.

5. Præterea. Rei non assignatur causa efficiens, secundum quod est in intellectu, sed secundum quod est in re. Sed quidam actus sunt in quibus non potest separari illud quod est de natura actus à deformitate nisi secundum intellectum, quia bene fieri non possunt. Ergo non causantur nisi secundum quod stant sub illa deformitate. Sed ut sunt sub deformitate, non sunt à Deo. Ergo nullo modo à Deo sunt.

Sed contra. Omne bonum à Deo est. Sed quædam peccata sunt quæ habent malitiam ex aliqua circumstantia superveniente, & tamen actus sunt boni ex genere, ut dare eleemosynam propter inanem gloriam. Ergo horum, in quantum sunt actus quidam, Deus causa est.

Præterea. Quidquid non est causa operationis per quam aliqua substantia in esse producit, non est causa illius substantiæ. Sed per aliquam actionem peccati, substantiæ quædam in esse producit, sicut per adulteria, & fornicationes homines generantur. Si ergo harum actionum Deus causa non est, in quantum actiones sunt, tunc nec hominum qui per has actiones generantur, est causa: quod est absurdum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hanc questionem tanguntur à Magistro quæ opiniones. Una quarum dicebat, omnes actus, in quantum actus sunt, ex Deo esse; sed quod in quantum deformitatem habent, à Deo non sunt, sed ab homine, vel diabolo: & horum rationes supra xxxi. distinct. prosecutus est. Alia opinio dicebat, actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantum actus sunt, à Deo esse: & hæc opinio tangitur in præsentis distinct. quam ad præsens nulli, vel pauci tenent, quia propinquissima est errori duplici. Primo quia ex ea videtur sequi quod sint plura prima principia: hoc enim est de ratione primi principii ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia ejus: unde si voluntas humana actionem aliquam posset producere cujus auctor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principii haberet: quamvis solvere hoc nitantur, dicentes, quod voluntas etsi per se possit actionem producere sine influentia prioris agentis, non tamen habet à se esse, sed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principii. Sed hoc videtur inconveniens, ut quod à se esse non habet, à se agere possit; cum etiam per se durare non possit quod à se non est. Omnis etiam virtus ab essentia procedit, & operatio à virtute: unde cujus essentia ab alio est, oportet quod virtus, & operatio ab alio sit. Et præterea quamvis per hanc responsionem evitaretur quod non esset primum simpliciter, non tamen posset vitari quin esset primum agens, si ejus actio in aliquid prius agens non reduceretur sicut in causam. Secundo quia cum actio etiam peccati sit ens quoddam, non solum secundum quod privationes, & negationes entia dicuntur, sed etiam secundum quod res in genere existentes entia sunt, eo quod & ipsæ actiones in genere ordinantur; sequeretur, si actiones peccati à Deo non sunt, quod aliud ens essentiam habens à Deo non esset; & ita Deus non esset universalis causa omnium entium: quod